# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

**Jacobus <de Voragine>**

**[S.l.], [14. Jahrh.]**

De sancto Gervasio

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

ad tam grande spectaculum et veniam postulant ignorantiae et delicti sui et corpus eius in ecclesia honorifice posuerunt. Illa autem quae famulam dei inclamabat a daemone arripitur et scelus suum confitens palam et ad sepulchrum virginis veniens liberatur. Ad cuius sepulchrum populus undique confluit et multa miracula fiunt. Obiit autem xviii kal. iulii.

## De sanctis Gervasio et Prothasio.

Gervasius agens quod est sacrum et vas vel agena quod incolatus et syor parvulus. qui sacer per vitae meritum, vas per virtutum receptaculum, peregrinus per mundi contemptum, parvulus per sui despectum. Prothasius a prothos quod est primum et syos deus sive divinus, vel a procul et stasis quod est positio, qui primus per dignitatem, divinus per dilectionem, procul positus a mundi affectione. Horum passionem ambrosius in libello ad eorum caput posito scriptam reperit.

Gervasius et prothasius gemini fuerunt fratres filii sancti vitalis et beatae valeriae, qui omnia sua pauperibus erogantes manebant cum sancto nazario qui apud ebredunum oratorium construebat et ei celsus puer lapides porrigebat. Quod pro nazarium iam celsum habuisse narrant, forte per anticipationem accipit, cum longe post eum sibi oblatum fuisse ex historia nazarii colligatur. Cum autem omnes ad neronem imperatorem ducerentur sequebatur eos eiulans puer celsus. Quem cum unus militum alapis cederet et cedentem nazarius increparet, irati milites nazarium calcibus ceciderunt et ipsum cum aliis in carcerem recluserunt et postmodum in mare praecipitaverunt. Gervasium vero et prothasium mediolanum duxerunt.

Eo tempore superveniente comite astasio qui contra marcomannos proficiscebatur ad bellum, daemonum cultores eidem occurrerunt asserentes quod dii sui respondere contempnerent nisi prius gervasius et prothasius eis immolarent. Continuo igitur tenentur et ut sacrificent invitantur. Cum autem gervasius omnia ydola surda et muta diceret et ipsum ab omnipotenti deo victoriam requirere debere doceret, iratus comes tamdiu eum plumbatis cedi iussit quousque spiritum exalaret. Deinde prothasium accersiri fecit eique dixit: Miser, tu vivere stude et noli cum fratre tuo mala morte perire. Cui prothasius: Quis est miser? Ego qui te non timeo, aut tu qui me timere probaris? Cui astasius: Ego te miser homo quomodo timeo? Cui prothasius: Inde me timere et te ledi probaris, si non sacrificavero diis tuis. Si enim ledi te a me nequaquam timeres, numquam ad sacrificium ydolorum me compelleres. Tunc eum comes in eculeo suspendi praecepit. Cui prothasius: Non irascor tibi comes, quia video oculos cordis tui excaecatos, quin potius tui misereor, quia nescis quid facias. Age igitur quod coepisti, ut me hodie cum fratre meo possit occurrere benignitas salvatoris. Tunc comes iussit eum decollari. Philippus autem servus christi cum filio suo corpora eorum rapuit et occulte in domo sua in archa saxea sepelivit et libellum eorum ortum et vitam et finem continentem ad eorum caput posuit. Passi sunt autem circa annos domini lvii. Horum corpora multo tempore latuerunt sed tempore beati ambrosii hoc modo reperta fuerunt. Ambrosio namque in ecclesia sanctorum naboris et felicis in oratione po-

sito. ita ut nec vigilaret aperte nec dor-
miret integre. Apparuerunt duo pulcher-
rimi iuvenes. vestibus candidissimis
i. colobio et pallio induti. caligulis cal-
ciati. sursum manibus extentis orantes.
Oravit ergo Ambrosius ut si esset illusio
non ultra appareret. si autem veritas denuo
revelaret. Simili ergo modo cantante gal-
lo orantes sibi iuvenes apparuerunt. Terci-
a illa nocte ieiuniis iam defecto cor-
pore non dormienti sed stupenti cum tercia se
apparuit persona quae similis paulo apostolo vide-
batur secundum quod in pictura perspexerat.
Illisque tacentibus apostolus sic dixit. isti sunt
qui nil terrenum desiderantes monita mea
secuti sunt. quorum corpuscula in eo loco
reperies in quo stas. xii. pedum altitudi-
ne terra cooperta. Invenies archam. et
ad caput eorum libellum in quo ortus eorum
continetur et finis. Convocatis igitur
vicinis coepiscopis et omnia prout dixerat
sanctus paulus invenit. Et licet iam ccc
annis et ultra fluxissent. ita tamen eorum corpora
sunt reperta. ac si ipsa hora ibi fuissent
posita. Insuper odor suavissimus et mira-
bilis inde flagrabat. Cecus quidem ibi tan-
gens feretrum. illuminatus est et multi
alii eorum meritis curati sunt. In horum sollemp-
nitate pax inter lombardos et ro-
manum imperium fuit reformata. et ideo
gregorius papa. loquetur dominus pacem in plebem
suam in introitu misse cantari insti-
tuit. Unde et officia partim sanctis conveniunt
partim eventibus diebus quae in ipsis contingere
debet. ¶ Refert augustinus libro xxii.
de civitate dei. quod ipso presente impera-
tore et multa turba. quidam cecus apud
mediolanum ad corpora martyrum gervasii et
prothasii lumen recepit. Utrum autem
predictus cecus sit an alius ignoratur.

¶ Idem quoque refert ibidem quod quidam iuve-
nis in villa quae dicitur victoriana quae ab yppo
regio. xxx. milibus distat. cum in quodam
flumine equum lavaret. statim eum
dyabolus vexavit et in flumen tamquam mor-
tuum proiecit. Cum autem vespere in ecclesia gervasii
et prothasii cantaretur. ille vocibus illis
quasi percussus cum clamore tremendo ecclesiam in-
trans altare tenebat. nec amoveri no-
valens tamquam si ibidem alligatus fu-
isset. Et cum demon ut inde exiret adiura-
retur. ille se eius membra amputaturum
exiens minabatur. Cum exiret ad iuvenis
oculus iuvenis. et in maxilla fusus te-
nui venula dependebat. sed in loco suo
sicut potuit oculum revocaverunt. et ecce in-
fra paucos dies meritis sanctorum gervasii et
prothasii plene sanatus est. ¶ Ambrosius
quoque in prefatione sic ait. hii sunt qui vexillo
celesti signati. victricia apostoli arma
sumpserunt. et a mundanis nexibus solu-
ti nequissimi hostis viciorum acie perrumpen-
tes. ubi et expediti Christum dominum sunt secu-
ti. O quam felix germanitas. quae sacris in-
hérendo eloquiis nullo potuit inter-
pellari contagio. O quam gloriosa certaminis
causa. ubi pariter coronantur quos unus
uterus matris effudit.

Johannes baptista multis prenominatur. dicitur enim
propheta. amicus sponsi. lucerna. angelus. vox.
helyas. baptista salvatoris. preco iu-
dicis. precursor regis. In propheta desig-
natur prerogativa cognitionis. in amico
sponsi prerogativa dilectionis. in lucerna ar-
dens prerogativa sanctitatis. in angelo pre-
rogativa virginitatis. in voce preroga-
tiva humilitatis. in helya preroga-
tiva fervoris. in baptista prerogativa mi-
rabilis honoris. in precone prerogati-
va predicationis. in precursore prerogativa